



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

3 [i. e. 2] Quænam actio sit conseruatio, & quomodo à creatione differat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

dine ad extrinsecam potentiam Dei, à qua semper ac continuè pendunt in suo esse. Vnde licet dicantur per se esse in ordine ad intrinsecam causam, quia non per formam distinctam, sed per se habent esse in quo subsistant, quod maxime verum est de immaterialibus substantiis, tamen in ordine ad causam extrinsecam non conuenit illis per se esse, sed per superiorem causam, & dependenter ab illa.

XVII.
Secunda.

Ad secundum respondetur, ex utroque capite ibi proposito sufficienter colligi hanc veritatem. Primum enim ad amplitudinem diuinæ potentie spectat ut nihil sit, neque alio momento esse possit absque influxu eius. Ad eandem item pertinet plenum dominium omnium rerum creatarum, & intrinseca potestas annihilandi eas, per suspensionem sui influxus. Quocirca in humano artifice vel etiam in naturalibus agentibus vniuocis, quod possint efficere effectus, qui cessante actione sua in esse permaneant, non est perfectio simpliciter, sed supposita aliqua imperfectione; nimirum in artifice quod non possit efficere rem aliquam secundum proprium esse, & entitatem eius, sed solum secundum quandam formam & figuram consurgentem ex situ & ordine talium rerum, qua imperfectione supposita, pertinet ad industriam artificis, res componere ex talibus rebus, tali ordine ac dispositione, ut firmiter coherant, & stabiles sint. In agente autem naturali supponitur, verigratia, quod de se sit agens vniuocum, quod non pertinet ad perfectionem simpliciter: nam ceteris paribus multo excellentius est agens, quod ex se est eminentioris ordinis, quam effectus, illumque eminenter continet. Tamen, supposita illa imperfectione, quod causa est eiusdem rationis & ordinis cum effectu, pertinebit ad perfectionem non simpliciter, sed illius ordinis, ut possit effectum æquè perfectum ac permanentem efficere. Rursus etiam colligitur necessitas conseruationis sufficienter ex imperfectione creati esse, nam si ex se tale esset ut posset vel per momentum permanere sine actuali influxu primæ causæ, etiam in primo momento, vel in ipsa æternitate esse posset sine tali influxu, neque ex intrinseca ratione sua postularet dependentiam ab alio, quod est proprium esse infinite perfecti.

XVIII.

Ad exempla vero, quæ ibi afferuntur, primum respondetur, quod licet non quælibet inæqualitas effectus ad causam sufficiat, ut effectus pendeat in conseruari; tamen hæc inæqualitas quæ est inter esse per essentiam & per participationem, seu inter esse independentem, & illud quod est essentialiter dependens, sufficit, ut hoc non possit sine illius influxu conseruari. Petitur autem in illis exemplis, ut explicemus quando effectus pendeat in conseruari à causa creata. Sed hoc declarabimus commodius in sect. 3.

SECTIO II.

Quenam actio sit conseruatio, & quomodo à creatione differat.

I.



In hac re est prima sententia Henrici quodlibeto 1. quæstione 7. afferenti in omni rerum productione, & conseruatione intercedere duas actiones. Vnam qua res acquirit esse, aliam qua conseruatur in esse, ex quibus illa præcedit, hæc subsequitur. Idem quodlibeto 9. quæst. 1. Aureol. & Gregor. infra citandi. Fundamentum esse videtur, quia actio qua rei confertur esse est subita, & indiuisibilis, & carens duratione seu permanentia, & ideo statim præterit, eique succedit actio qua res conseruatur in esse: nam conseruatio est actio permanens. Et confirmatur primo, quia si res eadem actione conseruaretur qua fit, semper quamdiu est, esset in quodam continuo fieri, quia primum fieri continuo dura-

ret. Consequens autem videtur valde absurdum, nempe quod res substantialis & permanens, sit in continuo fluxu. Confirmatur secundo, quia sæpe videmus rem ab vna causa produci, & ab alia conseruari: ergo tunc necesse est, distinguere conseruationem à productione: ergo & semper distinguuntur. Vltimo id confirmat ex August. libro de Anim. immor. cap. 8. vbi de Deo sic scribit; Hæc vi & natura incorporea effectrix corporis vniuersi, Præsentia potentia tenet vniuersum: non enim fecit, atque discessit, effectumque deseruit, & infra; Illa effectoria vis vacare non potest, quia, quod ab ea factum est, tueatur, & specie carere non sinat, quæ est in quantumcumque est: quod enim per se non est, si deseratur ab eo per quod est, profecto non erit, & cetera. Alia argumenta pro hac sententia refert ex Aureolo Capreol. in 2. dist. 1. quæst. 2. art. 2. in arg. cont. 3. concl. Alia etiam affert Gregor. in 2. dist. 1. quæst. 6. conclus. 4. Sed ea omitto, quia non habent specialem difficultatem.

Secunda sententia est, conseruationem non esse aliam actionem à creatione secundum rem aut modum realem, sed solum connotatione quadam a negatione inclusa, seu ratione distingui, nam creatio dicit effectum rei, connotando, quod antea non fuerit; conseruatio autem dicit eandem effectum connotando quod res antea iam fuerit. Hæc est sententia Diui Thomæ prima parte, quæst. 104. art. 1. ad quartum, & de potent. quæst. 3. art. 3. ad 6. & quæst. 5. art. 1. ad 2. & hanc sequuntur communiter Thomistæ, Heruzus tract. de æternit. mundi quæst. 1. Agid. de ent. & essent. quæst. 7. Ferrar. 3. contra Gentes cap. 65. Capreol. supra, qui refert specialiter contra Henricum, Bernardum de Ganaco, quodlibet. 1. quæst. 7. Et hæc sententia, per se loquendo, vera est, vitamen amplius explicetur, distinctio quadam adhibenda est.

Quæstionis resolutio.

Contingit enim interdum rem ab eadem omnino causa conseruari, à qua fit, interdum verò à diuersis, vel quia effectio fit ab vna cum adminiculo, vel concursu alterius; conseruatio vero fit à sola vna causa, vel è conuerso, quia productio fit ab vna, ad conseruationem autem multæ concurrunt.

Dico ergo primo; Quando conseruatio est ab eodem omnino agente, & cum eodem concursu causæ materiali, vel etiam cum eadem independentia à materiali causa, tunc conseruatio non est alia actio à productione vel creatione, nisi ratione tantum vel connotatione & habitudine. Quo fit, ut formaliter ac per se loquendo, actio & conseruatio non sint in re duæ actiones. Hæc est mens Diui Thomæ. Et probatur, quia nullum est principium sufficiens ad distinguendas illas actiones: ergo sine causa asseruntur distinctæ. Quis enim credat solem, vel lucernam alia actione illuminare hunc aerem, cum primo applicatur, & deinceps? Quid enim fuisset in causa, ut prior actio interruperetur, vel cessaret, ut alia deinde inchoaretur? Rursus deberet prima actio tantum per instantis nostri temporis durare, quia quæ ratione amplius duraret, semper durare posset: si bsequens actio ergo vel duraret per aliud simile instans tantum, & licet essent duo instantia immediata: vel duraret per totum subsequens tempus, quo res conseruatur, & tunc eadem, vel maiori ratione idem dici poterit de priori actione, & vitabitur illa superflua multiplicatio actionum. Adde quod illa secunda actio inchoanda esset per vltimum non esse, quod est præter naturam talium actionum. Item in visione beata, verigratia, alia esset actio qua beatus primo videt Deum, & qua deinde perseuerat in visione Dei. Et ita prima actio non esset beatitudo, neque de se perpetua, quod est absurdum. Imo hoc admittere in quacunque corporali visione, vel in omni intellectione & volitione est præter omnem rationem, & præter experientiam, quan-

quantum in hac re interuenire potest. Imò vix est homini possibile, perseverare tantum per instans in actione vitali, quam exercet. Mirum etiam esset quod in agente naturali, verbi gratia, visum variaretur actio, non mutato principio, neque obiecto, neque passo, neque effectu. Et similiter quod in agente libero multiplicaretur actio absq; visu nouo libertatis. Tãdem actio habet vnitatem ex termino & principio, vel etiam ex passo, si versetur circa illud, sed productio & conseruatio habent eundem omnino terminum: ergo si principium sit idem, vt supponimus, actio, de qua agimus erit eadem, quia creatio nullum habet subiectum: idem autem est seruata proportione in actione & conseruatione, quæ sit ex subiecto, si passum sit idem.

Dices: Etiam ex temporis diuersitate solere actiones distingui, ideo enim Aristoteles ad motus vnitatem requirit vnitatem temporis: creatio autem & conseruatio sunt diuersis temporibus, vel saltem illa sit in primo instanti; hæc vero in toto tempore subsequenti. Respondeo ex sententia Aristotelis, idem tempus cõtinuum satis esse, vt motus sit idẽ, & consequenter vt actio sit eadem: at in præsentis instans quo fit creatio, continue coniungitur tempore subsequenti quo durat conseruatio: continue (inquam) eo modo, quo potest indiuisibilis terminus rei diuisibili immediatè copulari: hoc ergo satis esset vt illa actio esset vna, & ideo sæpe dicit Diuus Thomas, conseruationem esse quasi continuatam creationem. Quod non est intelligendum de continuatione propria, sed nostro modo intelligendi, seu per coexistentiam ad veram successione continuam. Continuatio enim proprie dicta, solum est in re diuisibili: creatio autem & conseruatio sunt vna actio indiuisibilis: vnde eius vnitatis maior est, eiusque duratio nõ est per successione, nec per veram continuationem, sed per eiusdem indiuisibilis actionis permanentiam. Nam, quando non est successio in termino, vel acquisitione termini, neque in actione esse potest: hic autem non est successio in termino, quia est esse substantiale indiuisibile, neque in acquisitione eius, quia simul totum acquiritur, & simul totum conseruatur. Quo fit, vt cum dicitur, productio ac conseruatio durare vno tempore continuo, intelligendum id sit de tempore extrinseco, cui illa actio coexistit, nã si sit sermo de intrinseca duratione, potius est vnum instans aut æuum indiuisibile, quod totum simul incipit in primo instanti, totumque perseverat toto tempore sequente, & in singulis partibus ac instantibus eius.

Atque hinc confirmatur ratio superius tacta, nam conseruatio est vna actio, prout durat toto tempore post primum instans, & in omnibus instantibus continuationis talis temporis: ergo etiam est vna actio cum ipsa productione vel creatione, quæ fit in primo instanti. Patet consequentia, quia non est maior ratio distinctionis inter primum instans, & tempus immediatè subsequens, quam inter quodlibet instans continuationis, & partem temporis, quæ post illud succedit. Nisi quis fortasse fingat in ipsa conseruatione realem & intrinsecam successione, quod & falsum est & mihi improbabile, & adhuc relinquatur idem argumentum, quod eo modo, quo conseruatio in se dicitur vna actio, scilicet, continuatione, debeat etiam dici vna cum creatione, quia non minus coniungitur pars vltimo termino, quam continuationis, vt in linea punctus terminatiuus vere illi vnitur, & suo modo constituit cum partibus vnum integrum, sicut punctus continuationis.

Vnde obiter soluitur argumentum si quis ita obiciat: Si Deus annihilaret angelum, & postea eundem crearet, actio creandi esset diuersa, solum quia diuerso tempore fit: ergo creatio & conseruatio, quæ diuersis sunt temporibus, erunt actiones diuersæ. Respondetur enim idem argumentum fieri Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

posse de conseruatione, quæ priori & posteriori tẽpori, vel instanti correspondet, quod scilicet non sit eadem actio, sed infinitæ multiplicetur in successione omnium instantium, vel partium temporis. Negari ergo potest consequentia, quia in illo casu actiones essent interruptæ & discretæ; hic vero est vna continua. Melius tamen dicitur antecedens nõ esse necessarium, nam posset Deus reproducere angelum eadem numero actione, qua illum creauerat: nõ enim illi difficilius est eandem numero actionem iterum efficere, quã eundem numero effectũ, vt alibi latius dixi. Tamen etiam posset si veller diuersa actione vt ad reproducendum eundem numero effectũ, vt in superioribus notauimus. Et ideo nõ dixi antecedens esse falsũ, sed incertum, quia pendet ex libera Dei voluntate. Vnde etiam non nego, quin possit Deus, si velit, variare actionem in rei creatione & conseruatione, imò & in ipsa conseruatione prout fit in diuersis partibus nostri temporis: dico tamen id esse superfluum, & non connaturale supposita identitate termini & principii, maxime, quando non interruptur actio.

Hinc præterea facile intelligitur distinctio rationis inter creationem & conseruationem: nam quod hæc saltem intercedat, ipse diuersus modus loquendi ostendit: quia res non dicitur conseruari in primo instanti quo creatur: neque creari post primum instans reliquo tempore quo conseruatur: interuenit ergo aliquod discriminẽ saltem rationis inter illa duorũ quod nõ est aliud nisi supra tactum, quod creatio sub hac voce connotat negationem esse prius habiti. conseruatio vero è contrario connotat possessionẽ eiusdem esse prius habiti. Quod vero hæc sit tantum diuersitas rationis per se notum videtur. Et facile patet à simili: ex ipso termino, nam ipse effectus creatus vt existens in primo instanti, vel vt existens in toto tempore sequenti solum ratione potest distingui: ergo idem est in actione indiuisibili, & ita sunt imposita diuersa nomina, quibus significetur actio sub illis diuersis respectibus ac connotationibus. Interdum verò concipitur vel significatur actio sine illis respectibus, sed indifferenter, & tunc indifferenter etiam dicitur de productione, & de conseruatione: quomodo dicitur sol illuminare aerem, & in primo instante & toto tempore quo lumen durat. Quo sensu etiam dicitur Deus usque modo operari, Ioan. 5. vt Aug. exponit 4. Genes. ad liter. cap. 12. & alii patres supra citati. Ex his ergo satis patet tota conclusio. Cur vero vltimã partem eius addiderim, constabit ex sequenti conclusione.

Dico secundo: Interdum conseruatio est distincta actio à productione ob diuersitatem efficientis vel materialis causæ: tunc autem est materialis potius distinctio, quam formalis inter productionem & conseruationem. Prima pars declaratur & probatur, nam quantitas, v.g. in mysterio eucharistiæ conseruatur eadẽ numero, & in materia panis & separata à pane. Et ideo alia actione fuit producta ex materia panis, alia conseruatur separata. Et ratio est, quia prior actio fuiteductio de potetia materis, vel concreatio cum materia, aut eomproductio cum pane, iuxta varias opinionones. Posterior vero actio est ex nullo subiecto. & in re est idem quod creatio, solum non ita appellatur, quia res illa iam præexistebat. Vnde obiter intelligitur, hunc modum distinctionis inter productionem & conseruationem, scilicet vt altera sit per modum eductionis, altera per modum creationis, vel è conuerso, nõ posse naturaliter interuenire, nisi per miraculum aut supernaturale opus; nam forma quæ fit per actionem dependentem à subiecto, non potest naturaliter fieri aut conseruari dependentem à subiecto. Et eadem ratione si accidens productum in vno subiecto, transmutaretur in aliud, & in eo conseruaretur: actio illa qua conseruaretur in alio subiecto, esset distincta ab illa quæ fuit productum in

VIII.

Qualis & quantitas creationis à conseruatione distinctio.

IX.

Secunda distinctio.

Et 3 prior

priori: quia esset quasi nouaeductio, nouaque dependentia à distincta causa, tamen illa diuersitas non potest esse naturalis, quia non potest accidens migrare naturaliter de subiecto in subiectum.

X.
Distinctio
creationis à
conseruatione
ne ob variationem efficiens.

Alio modo potest distingui conseruatio à productione ex parte principii, vt cum ignis producit ab igne, & postea conseruatur à solo Deo. Vel cum aqua calefit à sole, vt ab igne, & remoto sole aut igne retinet calorem; tunc enim necesse est conseruationem esse nouam actione distinctam. Quod facile patet, quia cessauit prior actio & dependentia: iam enim ignis nō agit in aquam, v. g. aut alium ignem genitum, & consequenter cessauit etiam prior actio vt erat à Deo: nam in re erat omnino eadem cum actione ignis, vt sequente quæstione declarabitur: ergo est noua actio, qua Deus se solo illum effectum conseruat. Imo contingit priorem actionem esse successiuam: conseruationem verò esse indiuisibilem & permanentem, quia per hanc nihil nouum acquiritur per partes, sed quod acquisitum est paulatim, simul & indiuisibiliter conseruatur: loquor enim de pura conseruatione quæ sit sine augmento. Denique ratio est, quia actio, cum per se ipsam pendeat ab agente, non potest variare dependentiam, vel habitudinem ad agens, quin varietur actio. Et ideo si lumen producat ab vna lucerna, & conseruetur ab alia, conseruatio est actio distincta à productione: & in vniuersum idem est quodocumque est distinctum conseruans à producente.

XI.

Ex quo obiter intelligitur, hunc modum distinctionis non habere locum naturaliter in creatione, & conseruatione illi correspondente, quia naturaliter non potest res creari, neque creata conseruari nisi à solo Deo: secus vero est supernaturaliter: nam si Deus crearet rem per instrumentum creatum, & postea conseruaret se solo, vel e conuerso, tunc etiam actio esset distincta propter eandem rationem. Dixi autem esse collationem faciendam inter conseruationem correspondentem creationi: quia ita est formaliter ac per faciendam comparatio, quoties inquiritur de distinctione inter productionem & conseruationem. Nam si quis compareret conseruationem ignis, in materia cum creatione quacumque, clarum est esse actiones diuersas. Item sistendum est in actione & causalitate causæ efficientis: nam si quis compareret creationem materiæ, v. g. ad conseruationem, prout suo modo est à forma actuante illam, sic alia est causalitas formæ ab actione agentis: tamen id non est formaliter cōparare conseruationem actiuam cum productione.

XII.

Vnde tādē intelligitur, cur in hac assertionē dixerim distinctionem hanc inter conseruationem & productionem esse per accidens ac materiale: in superiori vero dixerim identitatem esse per se ac formalem. Quia nimirum distinctio quam explicuimus, non est inter conseruationem & productionem, ex eo quod vna est conseruatio & altera productio: sed ex eo quod vna est ab vna causa, & altera ab alia. Quæ distinctio erit eadem inter duas productiones, vel etiam inter duas conseruationes, si eadem diuersitas principiorum intercedat: ergo productio & conseruatio per se non habent hanc diuersitatem, sed potius identitatem, si formaliter ac præcisè comparentur.

Satis fit argumentis.

XIII.

Argumenta prioris sententiæ ferè non indigent solutione. Negatur enim creationem ex necessitate dare tantum per instans nostri temporis secundum rem loquendo; durat enim quamdiu conseruatio permanet: secundum nomen autem seu connotationem dicitur, solum durare per instans, quia tantum pro illo instante connotat negationem prioris

existentiæ. Loquimur autem semper de creatione, quæ est cum nouitate offendi; nam illa quæ esset æterno, non duraret per instans nostri temporis, sed esset nunc æternitatis, in eaque distingueretur creatio & conseruatio, modo proportionali, vt distinctione præcedente declarauimus. Ad primam confirmationem responderetur, cum res permanens dicitur esse in quodam continuo fieri, æquiuocam esse locutionem; nam esse semper in fieri ex rigore verborum significat esse in quodam continuo transibit & successione; in hoc autē sensu falsa est propositio, non tamen sequitur ex prædicta sententia, vt per se notū est. Alius vero sensus esse potest, quod creatura quamdiu est, actu pender à prima causa, à qua semper recipit esse per eundem actuale influxum, quo creata est. Et hoc sensu est vera propositio, tamen est impropria, quia fieri in rigore connotat quandam nouitatem offendi. Secunda confirmatio probat secundam conclusionem à nobis positam. Verba autem D. Augustini, vel nihil ad rem faciunt, vel ad summum confirmant eandem conclusionem.

SECTIO III.

Utrum res omnes à solo Deo pendeant in conseruari.



Iximus pertinere ad efficacitatem primæ causæ, vt res omnes in esse conseruetur: sequitur vt declaremus, an hoc sit proprium eius, & consequenter explicabimus communem diuisionem causarum: nec eas à quibus effectus pendet tantum in fieri vel etiam in conseruari. Et inuestigabimus radicem huius diuersitatis, an scilicet sufficiens sit, quod causa sit vniuersa, vel æquiuoca, vel si hæc non est satis, quænam illa sit.

Sensus quæstionis exponitur.

Primum autem omnium aduertendum est ex D. Thoma 1. p. quæst. 104. art. 1. & 2. variis modis intelligi posse vnam rem conseruari ab alia, scilicet per se, vel per accidens. Per accidens dicuntur conseruari res ea, quæ illam protegent à contrariis, vel ea resistendo, vel ea remouendo. Et hoc modo certum est Deum conseruare vnam creaturam medianter aliā: Angelus enim potest facile conseruare hominem auertendo lapidem, ignem, &c. de quo non est quæstio, quia hæc non tam est conseruatio, quam alia mutatio localis, vel alterationis; ad quam ex accidente sequitur, vt res, quæ iam erat, non corrumpatur, & ita conseruetur. Conseruatio autem per se potest subdividui; nam vna est directā & immediatā, quæ consistit in perseverante influxu ipsiusmet esse quod per productionem communicatum fuit. Alia verò est conseruatio solum mediata aut remota, quæ consistit in influxu aliquarum dispositionum vel formarum, quæ necessariæ sunt, vt res conseruetur in esse. Et priorem videtur D. Thom. supra ad 1. vocare conseruationem principalem: posteriorem verò secundariam. De hoc igitur posteriori modo conseruationis nulla est quæstio, quia certum est hoc modo quasdam creaturas conseruari per alias: sic enim dixit Arist. 12. Metaph. tex. 34. cælum & solem diuino motu suo conseruare hæc inferiora. Et ratio est, quia hic modus conseruationis solum consistit in productione aliquarum qualitatum, vel formarum. Vnde sicut vna creatura agit in aliam, ita etiam potest agere in qualitates consentaneas naturæ eius, quibus commode conseruetur.

Vbi duo sunt consideranda, vnum est, conseruationem proprie dici de illa, quæ est per efficientiam, quomodo nunc de illa loquimur: extendi tamen ad alia